



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quam diu episcopus in aliena ciuitate remoretur. cxviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

tus, seculares mores ad sacerdotalem studeat conuertere dignitatem. Nam satis noxium atque perniciosum est, vt imitatione ipsius, qui ædificari si debuerat destruantur. In qua re non solum ille culpabilis, sed etiam qui non restiterit inuenitur. Nam consentire videtur erranti, qui corrigenda, vt refecari debeant, non concurrit. Quia verò quidam Theodorus episcopus de diocesi reuerendissimi fratris nostri Constantij Mediolanensis Ecclesie episcopi, disciplinam, vt dicitur, euitans, illuc venisse firmatur: hortamur vt & isto diligentius requisito, ad episcopum suum vestra fraternitas retrasmittat. Et quia, sicut legitur, qui abiicit disciplinam infelix est, nulla eum illic excusatione patiamini retinere, quatenus & hi, qui leuitatis eorum vitio possunt decipi, liberentur, & de ipsis habere mercedem, ne in hac stultitia pereant, valeatis.

*Quam diu episcopus in aliena ciuitate remoretur. Cap. CXVIII.*

*Ex cõcil.  
Sardinēsi  
cap. 14.*

**O**SIVS episcopus dixit: Et hoc quoque statuere debetis, vt ex aliqua ciuitate cum aduenerit ad aliam ciuitatem, & ambitioni magis quam deuotioni sermonem, voluerit in aliena ciuitate multo tempore residere: Fortè enim euenit episcopum loci non esse tam instructum, neque tam doctum: is verò qui aduenit incipiat contemnere eum, & frequenter facere sermonem, vt dehonestet & infirmit illius personam, ita vt ex hac occasione non dubitet relinquere assignatam sibi Ecclesiam, & transeat ad alienam. Define ergo tempora: quia & nõ recipi episcopum inhumanum est, & si diutius resideat, perniciosum est. Nemini autem superiori concilio fratres nostros constituisse, vt si quis laicus in ea, in qua commoratur, ciuitate, quatuor dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conuentum, communionem priuaretur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multo magis episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam grauis necessitas quæ detineat, vt amplius à superscripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Vniuersi dixerunt placere sibi.

*De suscipiendis episcopis qui persecutionem patiuntur. Cap. CXIX.*

*Ex eodē  
cap. 22.*

**O**SIVS episcopus dixit: Suggestente fratre & coepiscopo nostro Olympio etiam hoc placuit, vt si ali-